A. D. 1907.

CURRENDA VI.

EPISTOLA

Pii Pp. X ad Emmum D. Card. Cassetta Patronum Sodalitatis Hieronymianae Sacris Evangeliorum libris vulgandis.

PIUS PP. X.

VENERABILIS FRATER NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Qui piam a Sancto Hieronymo Sodalitatem iam inde precatione bona felicibusque auspiciis sumus prosecuti, quum Patriarchalem Venetiarium administraremus Ecclesiam, nunc, nec tamen multos post annos, ex Ecclesiae suprema sede singularem quandam videmus voluptatem posse percipere, quod brevi tempore, profectus eandem fecisse tantos fructusque tulisse tam uberes intelligamus. Non enim Italiam modo, cuius in urbibus tria condita scimus, pro fecundiore efficacitate rei consociationis domicilia, sed etiam Americam Hieronymiana Sodalitas vulgatis Evangeliis pervasit, eo usque proferens libros, ubi italicam comperiret personantem linquam, iis maxime adiuvandis qui ex Italia migrassent. Equidem exemplariorum ferme quingenta millia esse edita et opportuno iudicio disseminata in vulgus, ista splendide commostrat res, socios operis institisse negotium incredibili quodam studio, praegrandemque agendi campum sodalitatem esse complexam. Mirum procul dubio facimus, tantosque id magis si tenuia assequendae rei praesidia cogitentur: iucundum etiam et faustae auspicatum, si propositum sodalitio bonum spectamus, opportunitatem nempe, facilitatemque multitudini offerendam Evangelii perlegendi contemplandique, horum potissimum in necessitatibus temporum quando nimis, quam unquam alias, ardentius lectioni opera datur, animis, ut plurimum, noxiae; frugiferum quopue et salubre, quum quidem ipsum per se, quippe vi abundat divina rerum, Christi id est, describenda vita, qua ad sanctitudinem morum nihil praestantius aut efficatius; tum vero ideo praesertim quia magisterio Ecclesiae usui magno est, sive aptius comparandis animis ad divina excipienda praeconia, sive iis defigendis in memoria clariusque custodiendis, quae antea fuerint a Curionibus de Evangelio explanata. Ad haec, non illud est in postremis eorundem librorum beneficiis censendum, si quidem tempora spectes, quod istis vulgandis legendisque, imago divinae vocis quadam ad eos etiam pertingit, quibus, desperatione vitae aut odio aut errore occupatis, cum sacerdote necessitudo nulla est: magnum certe et peroptandum Nobis benefactum, libris posse, ubi per vocem non licet, mederi animis hominum, et perturbatas publice privatimque res documentis vitae Christi restituere. Iam, solertia Nobis perspecta est et explorata, qua in munere obeundo suo sodalitas incumbit, propterea que non e re esse arbitramur hortari socios et acuere, quo alacrius in incepto perstent. Hoc tamen,

ad uberiora quotidie incrementa operis accuranda, ne fugiat: eam esse omnium utilissimam rem, quae tempori magis respondeat; eamque oportere duplicatis urgere viribus, quae brevi, adeo se, allatis bonis, probavit. Communem idcirco legendi Evangelii cupidinem, studio excitatam vestro, poscite progrediente exemplariorum vi non sine fructu exerenda unquam; erit id ad eam etiam abolendam opinionem utile, Scripturis Sacris, vernacula lingua legendis repugnare Ecclesiam aut impedimenti quidpiam interponere. Quum autem illud maxime intersit, non modo hoc tale sodalitatis propositum pro ceteris persequi, quae alacritatem eius actuosam possint allicere, verum etiam viribus persequi nulla ratione disiectis, id quoque erit commodi factum, si in libris vulgandis qui Evangelia et Apostolorum acta continent satis esse amplam adlaborandi provinciam consotiatio vestra positam putet. Perge tu igitur, Venerabilis Frater Noster, perge probatissimum Nobis opus auctoritate consilioque provehere; pergant sodales se ita operi addicere, quemadmodum addixere antea, id est, deligentia et studio summis. Omnia in Christo instaurare volentibus, nihil certe Nobis optatius quam ut id moris filii Nostri usurpent, Evangeliorum exemplaria non solum frequenti, sed quotidiana etiam lectione tenere, e quibus maxime addiscitur quo demum pacto omnia in Christo instaurari possint ac debeat. Auspicem divinorum munerum Nostraequae testem benevolentiae Apostolicam Benedictionem tibi et sodalibus, iisque universis qui ferant consociationi opem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI. ianuarii anno MCMVII., Pontificatus Nostri quarto. *PIUS PP. X.*

E COMMISSIONE PONTIF. DE RE BIBLICA.

De Mosaica authentia Pentateuchi.

Propositis sequentibus dubiis, Consilium Pontificium pro studis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur:

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxime ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos?

Resp. Negative.

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil ommitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum ipsiusmet nomine vulgaretur?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit?

Resp. Affirmative.

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnulas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas; mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit normas artis criticae disquirere et iudicare?

Resp. Affirmative, salvo Eclesiae iudicio.

Fulgranus Vigouroux, P. S. S. *P. Laurentius Janssens*, O. S. B.
Consultores ab Actis.

DECRETUM S. C. CONCILII

DE SEMINARIORUM ALUMNIS.

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes, qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti Ita namque in *cap. I, Sess. 24, de reform.* statuitur.

„Cum honestius ac tutius sit subiecto debitam Praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei qui ascensus ad sacros ordines a suo Prelato ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur".

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit, ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilli aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale

solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves augustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua seminaria neminem admittere, qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleratur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius PP. X. cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilli Patrum in Congregatione diei XVI. mens. Decembris 1905 emisso praesentibus litteris statnit atque decernit:

1⁰ ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod sit constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2⁰ Qui vero bono fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt, ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerit, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3⁰ Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4⁰ Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit „*A primis*“ die XX. m. Iulii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse, qui non sit utilis aut necesssarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess: 23. de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua, ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae die 22. m. Decembris 1905.

† *VINCENTIUS, Card. Episc. Praenestinus, Praefectus.*

C. De Lai, Secretarius.

Decretum S. C. Concilii de Excardinatione et Sacra Ordinatione.

Decreto diei 20 mensis Julio 1898, quod incipit *A primis*, Emmi S. C. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leone XIII, circa *excardinationem* et *incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, haec quae sequuntur statuerunt:

I. *Excardinationem* fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi *incardinatione* in alia dioecesi executioni demandata.

II. *Incardinationem* faciendam esse ab Episcopo non oretemus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum; id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio „*Speculatores*" pro domocilio acquirendo praescribit.

III. Ad hanc *incardinationem* devenire non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente; sub secreto, si opus sit, de eius natalibus' vita, moribus ac studiis oportuna testimonia.

IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines promoveri Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi in singulis casibus perpendere, an omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto posit abque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut „nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis „Ecclesiis" ut in *cap. 16. sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

V. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus Const. „*Speculatores*" quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae quasi *excardinatoriae*, seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium tranferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta Constitutionis „*Speculatores*" praescripta.

Porro evulgato decreto *A primis*, de huius praxis legitimitate disputari coepit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SSmi quaestione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 Emi Patres censuerunt, permitti posse,

si Sanctitas Sua id probaverit, ut praefatae litterae, quibus laici a propria dioecesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradioecesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen,

1.° dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata dioecesi concedatur.

2.° Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quae pro clericis *incardinandis* statutae sunt et superius sub num. II, III, IV et V recensentur; et servato quoque decreto „*Vetuit*" diei Decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3.° Sed iuramentum ad tramitem Constitutionis „*Speculatores*" requisitum praestandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatione permanendi in dioecesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem aetatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis, ne ad clericalem tonsuram admittant qui aetate maior non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Pio Papae X ab infrascripto Secretario in audientia diei 16 Semptembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Em. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus

Datum Romae, die 24 mensis Novembris 1906.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus,
Praefectus.

C. DE LAI, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

Monialis simpliciter professa potest cum sola moderatricis gen. licentia, mutare dispositionem reddituum.

Beatissime Pater,

Sanctimonialis N..., praemisso pedis osculo, humillime exponit quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis redditibus disposuit, iuxta normam proprio Ordini assignatam a S. Congregatione Episcoporum et Regularium 12 Iulii 1896, quae in Collectanea Andreae Bizzarri praescripta legitur pro Maristis in articulo *quoad votum paupertatis*, ut illos quasi ex aequo suo fratri et propriae communitati cederet.

Iamvero frater nunc, ob auctas necessitates, maiori subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat:

I. An iuxta normas a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, die 28. Iunii 1901 datas, possit cum sola superiorissae licentia dispositionem redditum mutare? [1]).

II. Et quatenus negative, ut S. Sedes praedictam facultatem indulgere dignetur. Pro qua gratia...

Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis rescribendum censuit prout rescribit:

Ad I. *Affirmative.*
Ad II. *Provisum in primo.*

Romae, 2 Iunii 1905.

L. † S.

D. Card. Ferrata, Praef.
Philippus Giustini, Secretarius.

E. S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET SS. RELIQU.

I.

Indulgentiae pro pio exercitio mensis SS. Cordi Jesu dicati.

In excipiendio VI Id: Augusti proxime superioris Emmo Cardinali Praefecto S. Congreg. Indulgentiarum et SS. Reliq. ac Pro-Praefecto Congreg. SS. Rituum, Summus Pontifex Pius PP. X. „qui, *eodem Cardinali teste locupletissimo,* in votis vel maxime habet, ut pium exercitium Mensis Cordi Jesu Cacratissimo dicati magis in dies propagetur et in Christifidelibus saluberrimas sane radices fortius et fructuosius agere conspiciatur", *plurimis Indulgentiis a Leone XIII datis perraras alias ac pene inusitatas addere est dignatus sive ad illius* Mensis *exercitium majus incrementum, sive ad ejusdem propagatorum incitamentum. Hae sunt hujusmodi:*

I. — *Indulgentia Plenaria TOTIES QUOTIES, quae defunctorum etiam animas afficiat ac juvet, die trigesima Mensis Junii lucranda in iis Ecclesiis, ubi* Mensis Sacri Cordis *exercitum sit solemniter ac rite peractum.*

II. — *Privilegium ALTARIS GREGORIANI* ad instar *in Missa diei trigesimae Mensis Junii concionatoribus et moderatoribus Ecclesiarum, ubi pium exercitium fuerit solemni ritu absolutum.*

III. — *Pium hoc exercitium promoventibus Indulgentia 500 dierum lucranda quocumque bono opere, quod ad illud propagandum vel augendum pertineat; Plenaria autem Indulgentia singulis diebus Mensis Junii, cum Sacram Eucharistiam sumant: utraque Animabus in Purgatorio carcere detentis etiam profutura.*

Harum Indulgentiarum extra ordinem concessio satis ac super ostendit ingens Pontificis desiderium, ut pium Mensis Sacri Cordis *institutum toto terrarum orbe diffundatur et ab omnibus rite celebretur, ita ut maxime omnium efficiat illam rerum in Christo restaurationem, ad quam pientissimus Pontifex jam inde a pontificatus sui exordiis mentis aciem intendit.*

[1]) In *Normis* sub n. 117 legitur: „Revocatio autem et etiam mutatio horum actuum cessionis fieri nequit durantibus votis *sine licentia moderatricis generalis*". *N. D.*

II.

Indulgentiae quas Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X. impertitur Christifidelibus, qui retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus, ab eadem Sanctitate Sua benedictis, praescripta pia opera adimpleverint.

MONITA.

Ut quis valeat Indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Pius X. imperitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, crucibus, crucifixis, parvis statuis ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis requiritur:

1⁰ Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis obiectis.

2⁰ Quod si id nomine fiat requiritur ut illud in proprio cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retineant et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3⁰ Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4⁰ Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis, indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur:

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis B. V. Mariae aut rosarium eiusve tertiam partem, aut divinum officium vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum, aut septem psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut missae interesse eamve peragere, si fuerit Sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SS. Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, S. Iosephi Sponsi eiusdem B. Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andrae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Mathaei, Simonis et Iudae, Mathiae et Omnium Sanctorum; eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum Plenariam Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero, corde saltem contritus, haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica vel alio anni festo Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Praeterea quiquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis vel fidelium defunctorum, aut vesperas aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos poenitentiales cum litaniis adiectisque precibus, quoties id peregerit centum dierum Indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit atque iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV. in Constitut., quae incipit *Pia Mater* sub die die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SS. Nomen Iesu, Plenariam Indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel Sanctae Communionis aut recitationi divini officii vel officii parvi B. V. Mariae, toties quinquaginta dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit iisque opitulatus fuerit, vel in Ecclesia christianam catechesim tradiderit aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini*, aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, vel pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerit psalmum *De profundis*, aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Eandem pariter consequetur Indulgentiam, qui Feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Jesu Christi terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum propisito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater Noster* et *Ave Maria* in honorem SS. Trinitatis aut in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi quinqies pronunciaverit *Pater Noster* et *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater Noster* et *Ave Maria*, quinquaginta dierum Indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt vel in animarum Purgatorii levamem applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus Suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias vuluit omnes in robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex Indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis, iuxta decretum sa: me: Alexandri VII. editum die 6. Februarii 1657, non transire personam illorum, pro quibus benedicta fuerint, vel illorum, quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc, ut indulgentiam communicent, secus eandem indulgentiam amittent: itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venumdari, iuxta decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Iunii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sa: me: Benedicti XIV. editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numis-

matibus etc. uti supra impertitae, non intelligi Privilegio gaudere altaria, ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas, quas Sacerdos eadum secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus assistunt benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum huiusmodi Crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis in id provisum fuerit ad eodem Pontifice Benedicto XIV. in praecitata Constitut. *Pia Mater.*

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit praesentem elenchum Indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut pro quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione aut dispositione in contrarium etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquis praepositae die 28 Augusti 1903.

A. Card. Tripepi, Praefectus.

L. † S. *Pro R. P. D. Franc. Sogaro,* Archiep. Amiden., Secret.

Iosephus M. Can. Coselil Subst.

E. S. CONGR. RITUUM.

DECRETUM

quoad Communionis administrationem in oratoriis privatis.

Hodiernus cathedralis ecclesiae Malacitanae in Hispania canonicus poenitentiarius ut suo Consultoris munere fungatur, de consensu Rmi sui Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione responsionem enixe postulavit ad sequentia dubia:

I. An liceat Sacram Communionem in oratoriis privatis, de Ordinarri tantum licentia *indultariis ministrare?*

II. Utrum non tantum indultariis sed etiam fidelibus Sacro adstantibus in praedictis oratoriis Sacra Communio ministrari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Praesupposito *Indulto Apostolico* pro concessione oratorii privati, affirmative.

Ad II. Negative, *nisi adsit indultum Apostolicum.*

Atque ita rescripsit, die 10. Februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Assistente Nobis Spiritu S.

Alumnis Seminarii Nostri die 30. Martii ad Subdiaconatum et die 25. Maji a. c. ad Diaconatum promotis 29. Junii a. c. Presbyteratus Ordinem conferemus et quidem:

R. Cebula Joanni
R. Fasuga Josepho
R. Karczmarczyk Antonio
R. Kołodziej Martino
R. Maryański Josepho
R. Orczyk Michaëli
R. Piotrowski Alexandro
R. Put Josepho
R. Sora Jacobo
R. Stabrawa Josepho
R. Szczerbiński Joanni

et quatuor alumnis Dioec. Hartfordensis in America

R. Francisco Kuster
R. Philippo Mooney
R. Paulo Piechocki
R. Joanni Sulivan.

Nomina ordinandorum Dominica 5. post Pentec. ex ambone nuntianda sunt hortandique fideles, ut ad Deum pro ordinandis fervidas fundant preces.

Rekolekcye Kapłańskie

odbędą się w tym roku *w Nowym Sączu* w czasie od 8. lipca wieczór do 11. lipca.

W Tarnowie rozpoczną się dnia 16. września wieczorem a zakończą 20. września wspólną Komunią św.

Mający brać udział winni się zgłosić pisemnie kilka dni wcześniej do Rektoratu OO. Jezuitów w Nowym Sączu względnie do Rektoratu semin. duchownego w Tarnowie.

Z całym naciskiem przypominamy przepis dyecezalny, że przynajmniej co drugi rok kapłani Naszej dyecezyi powinni odprawiać rekolekcye.

Poszukuje się

1) metryki urodzenia Antoniego Górskiego syna Józefa i Antoniny ze Smoleńskich, urodzonego około r. 1825.

2) metryki chrztu hr. Karola Krasickiego urodzonego 4. sierpnia 1797.

3) metryki ślubu jego rodziców hr. Jana Krasickiego z Anną hr. Potocką zawartego 4. maja 1793.

4) metryki chrztu Anny hr. Potockiej urodzonej w sierpniu 1767, córki Józefa hr. Potockiego i Teresy hr. Ossolińskiej.

5) metryki chrztu Józefa hr. Potockiego urodzonego około 1737 r. syna Stanisława Potockiego i Heleny Zamoyskiej.

6) metryki ślubu Stan. Potockiego około 1730 r. z Heleną Zamoyską zawartego.

7) metryki chrztu Teresy hr. Ossolińskiej urodzonej około 1740 r. córki Józefa Ossolińskiego i Teresy Stadnickiej.

8) metryki ślubu Józefa Ossolińskiego zawar. około 1730 r. z Teresą Stadnicką.

9) metryki ślubu Xawerego hr. Starzeńskiego zawartego około r. 1800 z Katarzyną hr. Jaworską.

10) metryki chrztu Katarzyny hr. Jaworskiej urodzonej około r. 1780.

11) metryki ślubu jej rodziców Gabryela hr. Jaworskiego zawartego około r. 1780 z Teklą Batowską.

12) metryki chrztu Gabryela Jaworskiego urodzonego około 1750 r. syna Andrzeja Jaworskiego i Konstancyi Siekierzyńskiej.

13) metryki chrztu Tekli Batowskiej urodzonej około 1760 r.

14) metryki ślubu jej rodziców Antoniego Batowskiego zawartego około 1760 r. z Franciszką Paszkowską.

Znalezione powyższe metryki (od 2—14) przesłać należy pod adresem: Dr. Joh. Bapt. Witting Hof und Gerichts - Advocat. Wien. I. Rathausstr. 8.

Nr. 3007.

C. k. Namiestnictwo Reskryptem z dnia 5. czerwca b. r. l. 64964 podało Nam do wiadomości Reskrypt c. k. Ministerstwa wyznań i oświecenia z dnia 23. maja b. r. l. 19543 orzekający, że podania o kwinkwenia są wolne od stempla.

Mutationes inter Ven. Clerum.

Nominati Camerarii hon. Suae Sanctitatis PP. Pii X. Rmi Canonici grem. Cap. Cath. Franciscus Leśniak, Dr. Joannes Bernacki, Dr. Stanislaus Dutkiewicz et parochus e Porąbka uszewska AR. Joannes Bobczyński.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 18. czerwca 1907.

X. Władysław Chendyński
Kanclerz.

† LEON
BISKUP.

Nakładem Kleru dyecezalnego

Drukiem Józefa Styrny w Tarnowie.